

## Correction

Argumentum est res ficta quæ **tamen** fieri potuit ut argumenta comœdiarum. **Ita** describitur a Tullio in nouo Rhetoricorum primo. Est **autem** oratio præuia breuiter totius comœdiæ seriem **et** ordinem continens. **Et** hanc præscire necesse est, ut clarior in comœdiam ad actus**que** eius omnes aditus fiat. Cum **autem** doctor melius doctrinare non possit quam cum ea quæ dicit ad oculum discentis realiter demonstrat, id ego facere studui per hoc quod ad argumentorum declarationem comœdiarum omnium unam principalem sculpsi figuram ; in qua intuitu uno simplici respectus personarum cernitur omnium, qualis**que** personarum alt[er]cantium quadripartita **et** partialis divisio, mediique comici superuenientis semper in medium locatio, amantiumque per linearum tractus contraria positio. Has **autem ita** ut comœdiæ totius fundamentum habere uolentibus longe suspensionis labor absit, non sine laboribus redegisti. Attentas **igitur**, o lector, præbe aures, **et** quis sit figuræ huius comœdiæ primæ intellectus carpe.